



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devote.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.4. Ad præsidium Matris Dei eo in articulo studiosius confugere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](#)

ex parte imitari possit Deum suum, in præduro ligno, non jam jacentem, sed clavis confixum trahalibus, inter angostissimè cru del illis, expirantem.

## §. 4.

*Ad præsidium Matris DEI eo in articulo studiosius confugere.*

Hanc antedictis velut appendicem subnectimus, neque habere, uti videbitur; verum id postulante, aut permittente sane, ipsa argumenti hoc capite propositi ratione.

Ac primum quidem Augustissimam DEI Matrem, potens esse in morte præsidium, ejusq; proinde patrocinium ac tutelam, ijs qui se salvos atque securos extremo tempore esse velint, sollicitius exquirendam, ac studiosius demerendam; constans est sensus SS. Patrum, fidelium usus, & Ecclesiæ traditio. Quod autem (ut præsens locus postulat) id impensis faciendum imitatione Christi significem, quasi ipse quoque Redemptor noster eo in articulo ad materni nominis gratiam confugerit, ejusve apud Deum merita in causam suam allegaverit; id alienius & duriusculum videli potest.

Neque id sane hoc loco proponerem, nisi ei quidem cogitationi vehementer faventem S. Augustinum, & tantum non id ipsum aperte profidentem, haberemus. Nam is psalmum exponens octogesimum quintum, tum reliquias psalmi de Christo intelligit, ut ejus sint voces in tribulatione & passione positi, & Patrem de sua liberatione interpellantis; tum verba illa nominatim ipsi Redemptori eo in articulo attribuit: *Respite in me, & miserere mei: da imperium tuum pueru tuo, & salvum fac filium ancillæ tue.* Hoc est (ut ibidem ipse exponit, etiam cum S. Ambrosio) filium Virginis MARIE. Ita enim ibi loquitur S. Augustinus: *Dominus filius ancilla. Dominus filius ancilla. Cujus ancilla?*

Pf. 85.

SSS 2

ancilla?

cille? Cui nasciturus quando nunciatus est, respondit *Ego*: Ecce ancilla Domini: fiat mibi secundum verbum tuum. Salvum fecit filium ancille sue, & filium suum: Filium suum in forma DEI; filium ancille, in forma servi. Et salvatus in moree, sicut nos sis, resuscitatā carne sua, que mortua erat. Hæc Augustinus.

*Job 30.* Ex hujus igitur S. Doctoris sententiâ, imminentis mortis occupatus angustijs Salvator (dum se ab omnibus, & ipso Patre quodammodo, derelictum conspicit) allegando putavit apud Parrem, quod esset MARIAE filius; ut eum vel isto respectu ad sibi subveniendum flesteret; perinde atque si diceret: Tu quidem me, Pater, in ipsis angustijs deseris; & quasi te Patrem oblitus es, mutatus es mibi in crudeliter veruntamen si nihil te movet, quod filius tuus, & unigenitus tuus ego sim: at valeat apud te matris meæ tibi dilectissimæ gratia. *Salvum fac filium ancille tue MARIAE.*

Quod tamen non sic ab eo factum dictumve recipimus, tanquam ad aliquid à Deo Patre imperandum, maternis meritis aut gratiâ apud eum indigerit: quippe Christi Redemptoris merita cuilibet dono aut præmio erant ipsa per se sufficientia, & ipse tanquam Unigenitus, apud Patrem unicè gratiosus. Sed nostrâ nimirum intererat, explicavi Marianæ gratiæ, eoque exemplo nos informari, quantum in illius patrocinio momenti in omni nostro discrimine, & præsertim in illo extremo vitæ actu, constituere debemus. Ut hic valeat, quod in simili Christi factâ utilitate.

*L. 5. in Luc:* pat S. Ambrosius: *Imitandi specimen dedit, non precandis ambitum requisivit.*

Tanto igitur instructi documento, ipsam Dei Matrem bonæ mortis præsidem asciscamus; eam crebrò impensie rogantes, ut veluti filio suo morienti sedulò astitit; ita nobis in hora mortis piè dignetur assistere, animaq; nostram suo è corpore egressu, qui velut quidam ad æternitatem

nexus ac partus est, obstetricis instar, laboranti opem ferre:  
quod equidem munus ipsa de se professa est, sese erga Caro-  
lum S. Birgittæ filium morientem exercuisse: aut etiam, ut <sup>L. 7. Rebel.</sup>  
instar parentis, quos per vitæ mortalis tenebras, clientelæ  
suæ tanquam utero protexerit, in lucem denique claram e-  
mittat sempiternæ felicitatis.

Quam in rem extat utilis libellus, à quodam è nostris  
Patribus in Germania non sémel editus hoc titulo: *MARIA*  
*agonizantium Mater*; ubi plurimis exemplis ostenditur,  
quantâ sedulitate Mater illa viventium clientibus suis, in  
supremo illo rerum cardine, subvenire soleat; & quibus  
potissimum officijs tantopere nobis necessarium præsidium  
liceat promerer. Ita enim habeto, mi Lector, Beatissimam  
Virginem, tametsi neminem serio ad se confugientem un-  
quam destituit, ijs tamen certius praesentiūsq; in morte sub-  
venturam, qui eam in vita peculiari studio constantiq; fide  
coluerint, ejusq; opem, in eam horam decretoriam, quo-  
tidianis votis, cum amore & fiducia, expetierint.

## CAPUT X.

### *Status Religiosus, peculiaris Christi cruci- fixi imitatio.*

§. I.

*Hominis Religiosi cum Christo crucifixo comparatio.*

**R**eligiosum hominem expressam esse Christi crucifixi  
effigiem & simulacrum, passim obvia est SS. Patrum  
sententia. Quippe qui vel Religiosorum vitam, vitam cru-  
cifixam seu crucifixorum appellant (quo etiam nomine usum  
invenio S. Bernardinum Senensem, dum de ea loquitur Filij  
Dei admirabili exinanitione, quâ factus est homo, ærumnis  
nostris